

S. c. 268

900 Uhr.

J. VII, 891.

~~*III 40 J. II, 13*~~

+

Q. D. B. V.

DISSE¹⁴TATIO IN AVGVRALIS PHILOSOPHICA
DE
PHILOSOPHIA
BACONIS VERVLAMII

QVAM
EX INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS

PRAE S I D E
IOH. CHRISTIANO FOERSTER
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

AD
CONSEQUENDOS SVPREMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES

DIE XXIX APRIL MDCCLXXI.

H. L. Q. C.

DEFENDET

A V C T O R
CHRISTIANVS GOTTLLOB BIRNER
BRIEGA-SILESIUS.

HALAE
LITTERIS BEYERIANIS.



DISCIPULI ETATIS PHILOSOPHICAE
PHILOSOPHIAE INDIANAENSIS

PHILOSOPHIA
BYCONIS VERAVAM

EX LIBRIS A. V. M. B. M. PHILOSOPHICARUM

CHINIS

FRANCISCA

JOH. CHRISTIANO LÖFFELERI

PHILOSOPHIAE INDIANAENSIS DISCIPULIO

BA

CONGRATULOS STREOMOS IN PHILOSOPHIA

HONORAB.

ET CETERA ET CETERA ET CETERA

ET CETERA

ET CETERA

A. V. M. B. M.

CHRISTIANUS GOTTLOR BIRNER

DISCIPULUS

ALAN

FILII TERRÆ EGYPTIÆ

VIRIS

PERILLVSTIBVS, ILLVSTIBVS, GENEROSISSIMIS,
SVMME VENERABILIBVS, CONSVLTISSIMIS,
AMPLISSIMIS ATQVE SAPIENTISSIMIS

A D

REGIMENT ET AD CONSISTORIVM SILESIAE SVPERIORIS
CONSTITVTIS

DOMINIS

P R A E S I D I

CETERISQUE
CONSILIARIIS REGIIS.

NEC NON

VIRIS

ILLVSTRI, CONSVLTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DOMINIS

D I R E C T O R I

C O N S V L I

E T

S E N A T O R I B V S

CIVITATIS BRIEGENSIS

PATRONIS ET FAVTORIBVS



AIRIS
PERITATIBVS ITATIBVS CONVERSIBVS
SVMVE AETERNIBVS CONSULTIBVS
AMPLISSIMVS AVOC SVENSIBVS
OMNI PIETATE AETERNV M COLENDIS

HANC DISSERTATIONEM TANQVAM DOCUMENTVM

GRATISSIMAE MENTIS
PRO INNVERIS IN SE COLLATIS BENEFICIIS
OFFERT

SEQVE ET RES SVAS COMMENDAT

P R A E T D I

AIRIS
UTRATB CONSULTIBVS LEGENTIBVS
DOMINI
D I R E C T O R I
C O N S A L T I
S E N A T O R I B A S

O B S E R V A N T I S S I M V S
CHRISTIANVS GOTLOB BIRNER



DISSERTATIO IN AVGVRALIS

D E

PHILOSOPHIA BACONIS VERVLAMII.

§. L

Magnorum virorum ingenia nosse, quidque cuique peculiare atque proprium sit, haud ignorare, hoc oppido multam utilitatem spondet. Verum non sufficit, vitam ipsorum scire, munera eorum nosse, scriptaque, quibus inclauerunt, nominare; recte qui de magni viri eruditione atque meri-

A



meritis iudicare cupit, praecipua ipsius, quibusque emolumentis
litauerit eruditioni, ante oculos habeat, necesse est.

Sunt alii arte & eruditione, alii muneribus publicis & sapienti
eorum, quae ad vniuersitatem pertinent, clariores, ita, vt non sem-
per isti hisce adnumerari neque vltimo loco nominati & ex erudi-
tionis nomine laudari possint. Longe alia verum, profundum at-
que sagacem constituant eruditum, illae nimurum animi dotes, quae
magis meditationibus aluntur, quam negotiis, quae rerum facies
poscit, & longe alia sunt quasi dona politici naturalia, quae in ad-
plicatione, actiuitate & iudicij practici acrimonia ponenda sunt.
Hinc etiam euenire solet, vt, qui forte multa laude in scientiis ver-
tatis est, exiguo saepe emolumento negotia gerat, in quibus non
tanta opus est eruditio, quanta potius civilis prudentia & animi ro-
mundo nobis obiiciuntur.

Ego vero haec a me dicta potissimum de Celeberrimo vere-
que Immortali Bacone Verulamio valere, haud sine iure arbitror,
qui, dum & eruditione & muneribus ciuilibus splendidissimis incla-
ruit, eruditus longe post se reliquit politicum & glorioſis mu-
neribus fungentem. Quum itaque de apta ad disputandum
materia cogitauerim, me non inutiliter esse acturum existimo, si
pro ingenio meo, quod sentio, quam sit exiguum, de Bacone quae-
dam philosopharer deque ipsius in eruditionem oppido immortali-
bus meritis. Haud putabit aequus lector, me pingere Baconis,
ingenium meritaque ipsius ita designare velle, vti debent: non enim
sum nescius, maximam ex mea parte futuram esse leuitatem, si tan-
tam mihi sumerem materiem, disputationis limites longe, vires me-
as longissime superantem. Non frustra agam, si modo pauca, de
eius philosophia deque ipsius in vniuersitatem eruditionem meritis
disceptem.

§. 2.

Non pertinet ad praesens meum negotium, summi Viri
vitam describere, quae a pluribus me longe superantibus descripta
est;

est; *) adponam tantum ex ista quaedam, quae quidem scopus mihi praefixus requirit.

Disciplinae & scientiae vix caput extollere coeperant, neque tamen eum in modum, uti debent, tunc tractabantur. Philosophia, quae tempore Elisab. Reginae & Iac. primi adeo in Anglia aestimabatur, adhuc vetus illa ieuna erat, qua verba pomposa, qua usum satis steriles, aristotelica nempe. Iuuenis Baconus dum in ista instituebatur. magni equidem fecit Aristotelem, sed statim animaduertit, pauci certe eam esse philosophiam in vita emolumenti, quippe cum ad contentiones modo & ad altercationes eam utilem esse, probe perspexerit, quod de ipsa iudicium tulit, cum nondum annum decimum sextum egressus erat, & ita, prouti iuuenis iudicauerat, in virili quoque ac in senili aetate iudicabat, quum iam esset, uti eum nominat vitae descriptor, *ornator & ornamentum eruditionis*. Adponam ipsum Baconis de aristotelica philosophia iudicium, quod seruauit Rauleius, suisque verbis exprescit, **) unde non minus iudicii maturitas, quae in ista aetate rarius esse solet, quam ipsum studium de eruditione ita bene merendi perspici potest, ut veram spondeat hominibus utilitatem.

¶. 3.

Quando rectum de eruditii ingenio ferri debet iudicium, alia sunt obseruanda a iudice, quibus neglectis tantum abest, ut solidi iudicet, ut potius rerum statusque ignarus non nisi sinistre iudicare queat. Eas itaque scriptas esse diiudicanti leges, censeo, quae ex ipsa natura eruditii, & scientiarum statu desumi debent. Postillum esse debet memor illius temporis, quo vixerit eruditus, ut ne eum diiudicet sine omni ad aetatem respectu. Quod si hodie omittere vellemus, profecto multi inter veteres celeberrimi non il-

A 2

li

*) Praefixa est vita ipsius operibus eius, quorum altera editio eaque optima est & anglicana, 1729, in quatuor vol. in fol. & Westenii in 6. vol. in 12mo, altera Hafniae in folio, qua ultima & ego vtor. Huic praefixa vita ipsius Baconis descripicio est *Rauleii* biographiae latina versio. Optima eius vitae enarratio est in *biographia britannica*, cuius versio edita est ab anno 1754. Halae, vol. 1. pag. 301. sqq.

**) Being a philosophy only strong for disputationes and contentions but barren of the production of works for the benefit of the life of man, in which mind he continued to his dyning day.



li forent, qui tamen sunt, si temporis habetur ratio. Emendantur scientiae, augmentur & ad maiorem utilitatem euhuntur; verum emendare longe facilius est ac inuenire, augmentaque minori facilitate inuentis addi queunt, quam prima & praeципua primo explicare, quae quippe fundamenta sunt omnium postea inuentorum aut emendatorum. Declarare atque ostendere debet deinde iste, qui solidum ferre cupit de erudito iudicium, quaenam inuenierit, addiderit disciplinis aut in illis emendauerit. Omnes enim scientiae suos habent limites; verum ea non data est hominibus felicitas, vt ad extremos quasi limites possint prouehere disciplinas. Augmentur scientiae earumque ita prouehuntur ab erudito limites; & ea ergo, quae praefiterit, sunt nominanda, dum ipsis vere opitulatus sit scientias, ita, vt ea si racentur, numquam completa eruditio imago delineari possit. Haec generatim a nobis dicta iam ad Bacconem adplicemus.

§. 4.

Optima vtique gaudebat Vir magnus educatione, in eoque vel omnem posuit operam parens, vt in scientiis atque artibus ita institueretur filius natu minimus, quo postea inde haberet, vnde viuere posset, dum iuxta Angliae leges minor tantum bonorum parentis portio ipsi cedere poterat. Verum, vt ista aetate sectaria eruditio valde adhuc placebat, in philosophia pauciores ante ipsum erant, qui Aristotelis castra deseruerant, plurimique vel omnia se fecisse arbitrabantur, si es didicerant, quae Aristotelles docuerat. Non est huius loci, hanc philosophandi rationem vberius describere: notum est cuilibet harum rerum non prorsus ignaro, praelectionibus mentis, subtilitatibus & argutationibus plenam fuisse adeo amaram philosophiam, vt vbiuis argumentis, non experientiae, naturalibus rationibus, non vero observationibus maxima attribueretur virtus, quo, quid perniciosius cogitari possit, ego ignoro. Multum autem iam est, naevos vitiaque videre, quippe cum hisce modo perspectis, felicis ipsis occurri possit; & hoc primum profecto erat, quod iuueni Bacono ansam dedit, emendandi, quae per tot saecula valuerant & masculine ostendendi, iis vel hominem non formari, vel sapientiam non promoueri, quod tamen finis omnis

omnis eruditionis esse debet. Has catenas dum fregit Bacon, plus certe effecit, quam si vnam vel alteram modo coluisset scientiam, ita, ut haec ipsa emendata & ad verum usum per felicia eius studia applicata fuisset.

§. 5.

Vel omnem eruditionis campum permeauit, & in libello aureo de augmentis scientiarum fertilem designauit scientiarum encyclopaediam, seu catalogum disciplinarum, quae ex parte hucusque prorsus neglectae, vel ex alia parte male tractatae erant. Globum quasi intellectualem uberiorius in hoc libello, regionesque & cultas & colendas illius designauit. Ego vero, in eo me non errare, existimo, si ad eruditum veri nominis hanc generalem disciplinarum cognitionem refero, qua quippe summaria notitia cuiusvis verum dicit pretium, quaque animadvertere debet, quo modo, & qua via singulae tractandae sint, quo felix inde enascatur emolumentum. Nomina vero non solum explicar Bacon nec sicciam adponit disciplinarum sciagraphiam, sed sobrie quoque de qualibet iudicat, quomodo hucusque culta fuerit, & quomodo feliciter coli debeat. Felicis autem erudit notam & istam puto, quod totum ponere calleat, & hoc totum numquam ponere sciet, nisi vniuersa illa gaudet notitia ambitus & combinacionis tam diuersarum disciplinarum, quarum quaelibet cum omnibus aliis consistit & ex illis fundamenta desumit.

Si pingendum foret Baconis ingenium, ad studia ipsius & ad molimina descendere deberem, quibus bene & optime de specialibus disciplinis promeruit. Ita historia Henrici VII. ab ipso exarata eum ostendit historicum fidum, &, quod in historico maximum est, vere pragmaticum, qui & eo felicius esse poterat, dum cum solida eruditione experientias coniunxerat, quas colligendi, negotia & munera publica, quibus fungebatur, ipsi simul erant felicissimae occasionses.

§. 6.

Primarium, quodque ad vniuersum scientiarum campum pertinet, bene de litteris merendi studium clarissime demonstravit in egregio isto libello, quem eo fine contexuit, ut regulas doceret, ad quas augendae atque emendandae forent scientiae. Pro meo

A 3

qui-



quidem iudicio hoc scriptum reliquis Baconi palmarum praeripit & ob sagacitatem & ob iudicij praestantiam, & ob fecunditatem, ubi vel pluribus eruditis iisque post ipsius aetatem clarissimis ausam dedit, optime de vna vel altera disciplina merendi.

Nouum equidem non exstruxit systema, & adeo non valde amauit plurium eruditorum operam, qua disciplinas in sistema redigere annuntuntur. Inter illa via, quae impediunt, quo minus in pertractandis scientiis maiores profectus faciamus, praeaturam atque proteruanam (ita ipse appellat hoc studium) reductionem doctrinarum in artes & methodos refert, recteque monet, ita aut parum aut nihil proficere scientias. Difficilis vtique est, maiorque audacia postulatur, si ea, quae semel in ordinem redacta sunt, ex combinatione sua protrahuntur seorsimque sine respectu ad systema & ad coniungendi modum considerantur. Non ignoro, plures, cum de systemate & eius virtutibus loquuntur, ita commendare systema & systematicam, vti vocatur, cognitionem, vt putent, nullam profus extra systema dari veritatem. Aut volunt, nos nihil certe & solide scire, nisi principia & fundamenta perspecta habeamus, neque ego quid contra hanc sententiam moneo, nisi, quod vase & valde obscure proponatur vera & in cogitando sana ac necessaria regula: aut edicunt, omnia solummodo iudicanda esse ex illo ordine & ex illa combinatione, in quam sunt a systematis conditore redacta, nihilque ego quidem in hac sententia veri video. Veritas non definit esse veritas, si extra consuetum ordinem consideratur, in quo adeo placet illis, quibus haec combinandi methodus placet. Praeterea quoque id haud placet Baconi, quod, dum intellectui & speculationi nimium tribuitur ab illis potissimum philosophis, qui omnia ex principiis & a priori demonstrare volunt, minor detur opera contemplationi naturae atque experientiae, quam quidem debet. Cum Heraclito hos intellectuales homines recte perstrinxit, quod veritatem in microcosmis suis, non in mundo maiori quaerant. Foret vtique peruersissima cogitandi ratio, si quis vel suo intellectu ad videnda vera & ad evitanda falsa non vteretur nihilque ipsi certum esset, nisi per experientiam clarum: Verum tamen non omnia possunt ex principiis naturalibus legitimo modo explicari, & quum quis vel omnia cognoscenda ita cognoscere quaereret, vt nullam, nisi viam

viam per demonstrationem, perque argumentationes abstrusiores, tam putaret, hoc certe nimia reverentia esset & quasi adoratio intellectus humani. Neque minus, quod etiam Bacon recte obseruauit, ex hoc fundamento aliud neque leius scientiis oritur detrimentum. Habant nempe eiusmodi homines suos conceptus, sua principia atque elementa in alta admiratione, & istis postea imbuere solent omnes meditationes omnesque suas opiniones, ita ut cuncta ex illis illustrare, aut confirmare, quam male etiam cohaereant, annitantur.

§. 7.

Plura adhuc alia eruditio[n]is sunt impedimenta, in quibus detegendis & examinandis multus fuit Bacon. Quumque non adeo homines differant, vt, quibus ineptiis capiuntur in vna aetate, in alia iis prorsus careant; non s[ic!] modo temporis vitiis designauit, sed & nostri aei, in quo tot erudit[i] eadem committunt, vt aequali iure virilis ista designatio ad nostra saecula pertineat. Praesepue vero tres doctrinarum intemperies pinxit; quae, vti tunc placebant multis, hodie haud displicent iis, qui eruditio[n]em quidem colunt, sed, dum illius verae naturam ignorant, vmbra capiunt eamque ipsam arbitrantur eruditio[n]em. Primam hanc intemperiem constituit doctrinam *fucatam & mollem*, quam omnium turpissimam & in solis vanissimis affectionibus positam, cum ratione iudicat. Omne etenim illud quum vanum sit, in quo vel veritas deficit vel usus; vmbra eruditio[n]is solummodo est, si pomposa vocabula producuntur, pro rebus venditantur, & ista eruditio[n]is apex putantur, iisque accuratius examinatis nihil veri, nihil proficiui deprehenditur. Vocabula sunt veritatis modo imagines, sed si id esse desinunt, inania erunt nomina, quae destruere debent naturam & animam scientiarum. Conquestus est Baconus de hac intemperie, quae tot corruperit suae aetatis homines; nos vero felices essemus, si nobis nulla occasio foret, dolendi hanc ipsam nostri aei intemperiem, potissimum in hac vel illa disciplina adeo placentem. Quot nomina? quot inanes argutiones audiuntur, pronuntur ex una parte vt gemmae, arripiuntur ex altera vt verae eruditio[n]is thesauri? Et utilitas inde? nulla, dum postea nullus istorum in vita usus, nulla inde ad alias vere viles disciplinas applicatio. Huc & pertinent egregiae illae demonstrationes, quae, dum



dum neminem conuincunt, nisi sit vel intimae admissionis in scho-
la ita loquente & ita demonstrante, discipulus; demonstrationes
& studium solide probandi, aliis ludibrio exponunt, vel, dum euin-
cunt, quorum conuictio non poscit, quia certa & indubitata menti
obuersantur, vanitatem produnt, qua vel nihil magis ridiculum co-
gitari potest, quia conclusiones non negantur, tamen ut solida, ut
certa quaevis euadant, tam alte tamque subtiliter demonstrantur,
ut vel fortem eruditorum hujus generis doleat iste, qui cum ratio-
ne modo poscit demonstrationes; vel tunc demum dubitare incipi-
at, postquam adeo turbata est ipsius cognitio insignibus demon-
strandi moliminibus.

§. 8.

Alteram intemperiem querit Bacon in vanis altercationi-
bus, quibus non nisi *litigiosa* oritur eruditio. Vti prima illa, de
qua antea locutus sum, magis ad verba pertinet quam ad res, quae
significantur, ita opposita est ratio huius iam nominatae. Vanitas
est erudita, si quis in vmbra tantum querit eruditionem, nec mi-
nor est vanitas, si in rebus nullius fere momenti. Subtiliter & acu-
te cogitare, magna est humanae cognitionis virtus, sed cassas
subtilitates venari, quaestiones mouere intricatas sed inanes, hoc
certe vitium eruditii est, quod multum obest eruditioni. Tam
magnus est numerus rerum dignarum atque nobilium, in quarum stu-
dio laudabiliter exerceri potest humanus intellectus, ut tempus pe-
fime perdatur, si his neglegentis tempus & studium ponatur in adeo
inanibus &, vti Bacon loquitur vermiculatis quaestionibus atque
altercationibus, quae certe scientiarum robur frangunt. Tertiam
intemperiem nominat *phantasticam* doctrinam, qua falsa modo,
forte sub magna veri specie cognitio progignitur. Solide Bacon du-
plex esse huius intemperiei fundamentum, docet; alterum impostu-
ram, quae in errores rapit, dum non probe considerantur, quae
belle vel magna pompa proferuntur; alterum credulitatem, qua
inconsideratus nec satis attentus facile decipitur, ut illa inter se con-
fundat, quae tamem probe a se inuicem distingui debent.

§. 9.

Non sufficit, eruditonis atque scientiarum virtus detexisse,
etiam verae illius virtutes ostendendae sunt, viaque aperienda, qua-
eun-

eundum est ad proficuum & fructuosam disciplinarum cognitionem. Nec defuit huic suo officio Bacon, dum, posteaquam satis solide via declarauerat, virtutes edocuit, quae quaerendae sint in quibus ab ipso nominata disciplina. Variae dantur omnis eruditio[n]is diuisiones, & philosophus noster secundum tres potiores animae facultates, *memoriam* nempe *phantasmam* & *rationem*, omnes scientias diuidit in historiam, poesin & philosophiam, ita, ut inuenios in quibus istarum parte ostendat saepiusque methodum & rationem doceat, feliciter eam tractandi, emendandi & augendi. Potissimum vero multus est in commendanda historia naturali, quae hucusque vel non, vel male tractata erat; & ob hanc causam plures Baconem primum fuisse statuunt, qui bene de confiencia historiae & scientiarum cogitauerit. Difficilior ex alia parte videtur omnis scientiarum diuisione, quam suam fecit Bacon, alio vero intuitu haec ipsa & nostris temporibus viris placuit, qui laudabiliter de omni eruditione promeruerunt, & propterea quoque huic diuisioni subscripterunt. B. L. B. de *Bielefeld*^{*)}, cuius encyclopaedia ex multis nominibus laudanda est, omnes disciplinas ita, ut Baconus, ordinauit, et dum plures diuisiones antea diuidicauerat, hanc tamen naturae bene conuenientem & facillimam arbitratus est. Per eam itaque tres disciplinarum vniuersales classes statuit, quarum *prima* illas scientias complectitur, ad quas tractandas iudicium et ratio porissimum requiritur, *altera* illas, quae fingendi virtutem supponunt, et *tertia* eas continet, quae memoriam exercent. Nolumus nostrum interponere iudicium, id saltim certum est, quod, et si diversa ratione hic omnis disciplinarum ambitus disponi et ordinari potest, vna tamen ratio sit altera magis naturalis, facilior et ad videndum totum magis accommodata; quae omnes virtutes secundum nostram opinionem competunt huic diuisioni, quae saltim plures alias claritate & facilitate superat, quas enarravit Bielefeldius.

§. 10.

Quamvis itaque Baconis ipse systema haud formauerit, fundamenta tamen plurium constituit, ita ut secundum multorum opinione[s]

B

nione[s]

^{*)} conf. eius instit. de la politique, cuius etiam versio germanica prodiit Lips. 1767. in 3 vol. in 8.



niones quasi aius nominandus sit aliarum post ipsum excultarum disciplinarum. Ego vero id eum in modum euincam, ut quasi per partes eam, quo eo feliciter patescant Baconis merita. Nemo profecto ante ipsum fuit, qui experientis atque inductioni tantam vim attribuerit, ut ipsis omnia esse superstruenda praeciperet. Quum vero alii eruditissimi homines omnem philosophiam, quae hodie &, vti hodie colitur, in metaphysicam atque mathematicam dispergant, huius vero parentem Newtonum constituant; non male ab ipsiusmet iam obseruatum est, Baconem ita esse aium mathematicae aut analyticae philosophiae*). Non pertinet ad praefixum meum scopum, naturam huius philosophandi rationis vberius explicare; quae a clarissimis nominatis scriptoribus explicata est; id modo addere debeo: quasi praecipuum esse huius philosophandi modi, quod experientiae quaerantur, praemittantur, ex iis vero demum cuncta, quae euincenda sint, et quae euinci possint, euincantur. Iste, qui his opponuntur philosophi, praemittunt vniuersalia generaliaque cognitionis principia, et ex illis demonstrant, vel non vel pro ratione illustrationis tantum experientias adiicientes. Inde vero systemata originem trahunt, in quibus cuncta bene cohaerent, et omnia ut articuli viuius catenae inter se coniuncta sunt; quae vero virtutes esse desinunt, si omnibus his probe consideratis, demum patescit, quam bona, quam ordinata et pro rationibus quam solide sint demonstrata, experientis refragari. Nihil iam ego de eo dicam, quod experientia maximam coniuncti virtutem habeat, et ita, dum veritates sine respectu ad has experientias inter se coniunguntur, vel de iisdem ipsa coniuctio, vel vsus earum, qui in mundo et inter homines esse debet, perquam difficilis euadere soleat.

§. II.

Quando diuiditur philosophia in speculatiuam & practicam, vel maiores sunt Baconis labores in emendanda illa, et si quoque eximie de hac promeruit. Atqui dum in omni eruditione supponendae sunt regulae, ad quas formanda est, haec ergo organon et instrumentum esse debent, quo vti scientiarum cultorem oportet; philosophia rationalis et instrumentalis inde enata atque culta est, quae,

*^o) conf. Moshem. in H. E. Saes. 17. S. I. C. 4. §. 31. p. 409, seqq. S. V. Brucker in historia critica philosophiae tom. 4. pag. 11.

quae, quam salutaris ac proficia esse possit et debeat, ieiuna saepe et ita fucata est disciplina, ut opera et tempus perdatur pessime, si isti tanta datur diligentia. Valet id praecipue de natura huius philosophiae ante Baconem. Cultura ingenii illius finis est, sed id non colitur, perditur potius et torpescit, si vocabula sive artes inanis ut philosophia rationalis discuntur et ad scientias postea adplicantur, quibus haec non eam obtinent faciem, quam debent habere, sed tristem, siccum et scholarum squalore vere depravatam. Miratus ego saepius sum, qui fiat, ut ita placuerint & non paucis adhuc hodie placeant ista scripta, quae ad normas eiusmodi logices accuratissime sunt elaborata, inque eo non minimam rationem esse positam credo, quod soliditatem, tantam eruditionis virtutem praeferant: at vero, quando indoles soliditatis recte scitur, non illa, quam potius eius iactantia est, qua tot homines, potissimum iuvenes, qui nondum de eruditione eiusque virtutibus ac usu rite iudicare didicerunt, decipiuntur, immo saepius corripiuntur. Ecquis putaret, illud demum solidum, quod formam dialogisticam haberet, quodque, quam leue & vulgare quoque sit, accurate & in dianœtica longa concatenatione proponitur? Quantum ego scio, iste solide cogitat, qui ex veris et certis fundamentis deducit, artem vel ostendat vel ipsam dextre celet: quod ultimum melius ubi hibendum est, quippe cum non minoris sit artis, celare artem. Ipse Bacon, cuiusnam indolis ante sua tempora fuerit haec organica philosophia, docet, simulque sua molimina his inanibus opponit studiis. Id fuisse veterum logicorum finem, ut *argumenta* excogitarent, id suum praecipit, ut *veritates* & *artes* inueniantur, non *argumenta*: in eo veteres versatos esse, ut docerent *principiis*, iisque non raro putatiis, ut eadem vocat, *conuenientia*, sine respectu, utrum quoque cum natura conuenirent; in eo vero ipsum versari, ut ipsa *principia* explicitentur: id demum egisse veteres, ut *ratiōnes* adducererent *probabiles*, id agere ipsum, ut *designationibus* & *inductionibus* stabiliantur omnia.

§. 12.

Quum vtique Bacon de hoc studio, ad certitudinem & ad usum disciplinarum adspirandi vel maxime promeruerit: addam vel unicum locum, unde clarissime patet, quanam mens ipsi fuerit



rit et de modo demonstrandi, qui lucusque placuerat, & de isto, quem illi substituit ut dignorem, tutiorem & naturae tam apprime conuenientem. Ita statim in initio noui organi docet: „inductionem enim censemus eam esse demonstrandi formam, quae sensum tetur et naturam premit et operibus imminent, „& posse quoque, „nemo autem reperitur, qui in rebus ipsis & experientia moram fecerit legitimam, „ Multus est potissimum in praefatione in commendanda experientia eaque adPLICANDA ad scientias, ut augeantur & emendentur. Omne eius organon duabus constat partibus, altera generali et propaedeutica, altera, quae arcem rei continet, speciali, haecque docet, quibusnam mediis uti debeamus ad veram et utillem impetrandam cognitionem. Evidem non sum nescius, plures non pauca disputauisse aduersus hanc, quam Bacon tanti habuit, ad eruditionem viam. Plura iudicia doctorum virorum commemorata sunt in singulari et vasta observatione, quae adiecta est virae ipsius descriptioni *): de duobus tantum dicam. Dum inductionem adeo laudat ut tutissimum certitudinis remedium, ratiocinationis autem & ex principiis antea positis concludendi et demonstrandi modum fere nullius putat: via tamen per inductionem saepe nimis longa iudicatur, et cum non adeo rariores sunt errores, qui ex finistre institutis observationibus et experientiis proxime ortum suum habent, nec via satis tuta putatur **). Nihil ego proponam aduersus hanc sententiam, praeter unicum. Concedam, experientias saepe esse minus longas pluribusque cautelis opus esse, ut ne, dum experiri volumus, in errores prolabamur: & aliorum experientiae non minus sunt experientiae ac istae, quas nos ipsi collegimus, modo certe sciamus, vere et legitime alias expertos esse. Alterum sagacissimi nostrae aeratis scriptoris iudicium de omni hoc Baconis organo illud est, quod laboriosam hanc disquisitionem Verulamii cum pugnate aliquo comparet, quo tamdiu tantum opus est, quamdiu opinices adhuc in domo exstruenda versantur. Hodie vero scientiarum & philosophiae sistema amplum, vastum, beneque cohaerens exstructum est; nec itaque amplius hoc pugnate Baconi opus

habere

*): vid. I. c. pag. 412. sq.

**) ita disputat adversus ipsum Bakerns in libello egregio: reflections upon learning chap. 2.

habemus. Si quid veri in omni hac comparatione video; vel omnis rationalis philosophia quasi pugna aliquid erit, cuius ope quiuis eruditus suam ordinare debet scientiam & eruditionem, vel tantum abest, vt nunc habeamus completem scientiarum systema, omnesque rationis nostrae regiones iam satis sint cultae, vt potius quotidie adhuc hoc eruditionis aedificium emendari, augeri, nouaque ipsi adponi possint et debeant.

§. 13.

Recte omnis speculativae philosophiae parens nominatur Bacon. Ita vero in illa egit, vt postquam antea duos scientiarum fontes constituit, quorum alii in alto, alii hic infra positi forent, duas sumeret scientiarum primarias partes, alteram philosophiam, alteram theologiam non naturalem, sed inspiratam, et sacram. Triplex philosophiae obiectum cogitat, Deum nempe, naturam atque hominem, unde triplex quoque ipsi enscit doctrina. Omnia harum disciplinarum matrem putat *vniuersalem scientiam*, deque huius natura existimat, esse debere receptaculum axiomatum, quae particularium scientiarum non sint propria, sed pluribus earum in commune competant *). Iam ante Baconem haec notio valuit, & quidem de metaphysica, cuius indolem vero Bacon longe alio modo explicat. Eandem plane notionem, quam Verulamius de scientia sua vniuersali souet, habet *du Hamel* de metaphysica. Adponam huius de metaphysica iudicium, et ita patebit, accurate eadem esse, quae Verulamius et *du Hamel* de hac philosophiae parte cogitauerunt. Ita vero posterior **) si de metaphysica praecepit, „prima omnium disciplinarum principia complectitur & „quasi summa capita, in quae omnium scientiarum conclusiones & „principia tandem resoluentur, & paulo postea“, admittenda est scientia, quae prima et maxime vniuersalia aliarum principia explicet, quaeque communes entis affectiones, quae passim in vnaquaque disciplina occurrent, demonstrat: idque vero vnius est metaphysicae, seu primae philosophiae“.

Multus est Bacon in detegendis naevis et vitiis, quibus hucusque scatuerat haec tanti aestimata metaphysica, quae tamen, pro-

B 3

uti

*) vid. hanc notionem in libello de dig. et aug. scientiar. lib. 3. cap. I.

**) in philosophia veteri & noua lib. 2. p. 253. editio Norimb.



uti ipse limites scientiae designat, tantum versatur in explicanda causa tam finali quam formalis. Nolumus de potestate vocabuli disputare; id vero in laudem Baconis haud omittere possumus, ipsum probe vtique edocuisse, multa esse eiusmodi generalia axiomata, quibus non exiguo emolumento in aliis scientiis vti possimus, in eo autem peccari pessime, quod homines orationis apices, non vero rerum subtilitates sequi soleant.

§ 14.

Vocabulis non raro ignorantiam occultari, res est, quae nulla eget vberiori declaratione; si itaque his nihil explicatur, ea tamen vt doctrinae & eruditio gemmae venditantur, oppido non tam eruditio promouetur, quam potius vanitas & eruditio inanis affectatio. Eiusmodi vero vocabula id erant Baconis tempore, in quo praecipue clara erat metaphysica.

In naturali scientia forte plurima efficit, tum, quod limites huius scientiae recte constituerit, tum, quod multam observationum congeriem posterioribus philosophis reliquerit, quibus ita bene de hac doctrina meruerunt, vt vltimae laudes Baconi tamquam parenti accuratioris physices tribui debeant. Primum quidem vti in omni philosophia ita potissimum in naturali disciplina plurima danda sunt experientiae, & profecto nemo ante Baconem in ea commendanda tot & tantas haber partes. Veram hanc explicandi & philosophandi rationem post tot molimina & subtilitates, quibus certe naturae interpretatio locum haud obtinet, introduxit. Deinde vero in libello, quem *siluam siluarum* nominavit, quique complexus plurium ex experimentorum maximi certe momenti, ita litauit verae naturali doctrinae, ut, eti nullius systematis erat auctor, tamen plura sint ipsius de hac philosophia merita, quam plurium illorum, qui systemata condere amant. Nihil iam dicam de aliis ab ipso exaratis, quibus historiarum nomen dedit, & quae vel fundamenta sunt plurium in physicis explicandorum, vel solidiores illorum explicaciones, ac illae, quibus delectabantur ante ipsum philosophi. Neque cum *Cudwortho* vilius contra religionem moliminis accusari potest vir Magnus, quod in euoluendis doctrinis physicis non usque ad Deum ascenderit. Physicorum est, reddere naturales, ex natura rerum rationes, & dum supponunt in omni inquisitione hanc pri-

mam

mam caussam, non negant. Cudworthus vero, qui adeo captus erat philosophia platonica, in qua vel semper Deus ex machina prodit, haud placere poterat. Parmenidis atque Democriti philosophia, quae tamen Baconi magis placebat ac platonica, dum isti naturalius rerumque naturae conuenientius philosophati erant. Mirum est, adeo suspectum fuisse Baconem Cudwortho, dum vel omnes testes in eo conueniunt, fuisse ipsum religionis pietatisue verum amantem, ita, vt equidem nesciam, utrum magis in philosophiae aut theologiae honorem dixerit, quod de ipso seruauit Rauleius: philosophiam nempe primoribus labiis degustatam a Deo abducere, penitus haustum ad eum reducere. *)

In omni speculativa philosophia ita demum precipit, vt, quando quis vero cum fructu huic litare velit, ab experientia ad axioma, ab hisque ad noua inuenta adscendere, non vero opposita vice a generalibus illis ad specialia descendere debeat, quippe quum hoc modo plerumque putativa supponantur atque praemittantur principia & his conuenienter postea reliqua ordinentur, quod quidem a sapienti naturae interprete quam maxime fugiendum foret.

§. 15.

Ex his omnibus, quae hucusque disputata sunt, id palam esse existimo, quod Bacon quasi e longinquuo veram philosophiam designauerit. Haud displiceret itaque acutissimi *Dav Humeſii* **) de isto iudicium, qui, dum Baconem & *Galileum* eadem aetate naturali scientiae potissimum litantem, inter se comparat, longe maiorem putat Bacone Galilaeum. ***) Hic non minus naufragauit ineptias scholasticas ac Bacon, viam itaque meliorem tuioremque non tantum designauit, sed quoque eadem incessit & ita certe plurima in emendanda arque augenda philosophia naturali effecit. Positum hodie extra omnem dubitationis aleam est; omnem matheſin quasi instrumentum esse, quo philosophus manum naturae admouere debet, & ita egit Galilaeus, Bacon vero vel nihil

*) That a little Philosophy makes Man apt to forger God as attributing too much to second Causes; but depth of Philosophy bringeth Man back to God again pag. 12. in vita Bac.

**) Geschichte von Großbritannien, Band I. p. 136, vti ex anglico idiomale versa est.

***) Vide vitam Galilaei in Heumannii actis Phil. vol. 3. pag. 261 seq. quae versio est germanica, illius descriptionis quam habemus a *Vincentio Vimani*.



hil in mathesi effecit. Laude dignus est, quod maxime enixus fuerit in colligendis obseruationibus & experientiis, quae tantum faciunt ad promouendam naturalem philosophiam, & eadem quoque laude dignus est Galilaeus. Hic simul vero his rebus vi poterat, scientiamque ad soliditatem maiorem & *angustiav* euehi, dum matheseos studio tam bene tinet erat, non ita Verulamius. Inde quoque factum est, vt, quod a Copernico acute & subtiliter excogitatum erat, Baconus rideret. Quamvis enim in eo sit rectus, quod, vti docet^{*)}, omnes scientiarum partitiones intelligi & adhiberi debant, vt scientias potius signent aut distinguant, quam secent & diuellant, vt perpetuo euitetur solutio continuitatis in scientiis: in eo tamen pessime errat, „quod scientia Copernici de ratione terrae equidem ex astronomicis principiis non possit, e naturalis tamen philosophiae principiis recte positis possit reuinci.“ Si fuisset in matheseos studio ita, vt Galilaeus versatus, certe non contadixisset Copernico, huius potius sententiam viriliter & pluribus adhuc argumentis suffulsiſſet, vti Galilaeus tanto cum honore fecit, & scientiis tanto cum emolumento.

§. 16.

Etsi nullo tempore plane inculta relicta est practica & operativa philosophia: tamen ea & recentioribus temporibus istam fortunam nausta est, vt magis, quam vlo aeuo, & ad vsum & ad ordinariam methodum redacta sit. Laudantur ab illis, qui historiam harum disciplinarum conscripferunt, ii potissimum, qui multas & praeципue suas partes habuerunt in condendis systematis, potissimum in colendo iure naturali. Ante Grotium & ante alios, qui sic bene de iure naturali meruerunt, & scripta habemus *Charronis*, *Menzangi* aliorumque, ex quibus forte, nisi in naturali Iurisprudentia, tamen in aliis practicis scientiis multa adponi possunt, quae ipsis multum lucis, multumque vſus foenerantur. Neque hic ultimum locum occupat Baconis studium. Amicus equidem non erat systematis & concatenationis doctrinarum; sed eo maior erat amicus verae utilitatis atque applicationis. Hinc, dum non adeo bella practicarum scientiarum facies ante ipsum erat, & vitia detexit istorum scriptorum

*) De Dig. & Aug. lib. 4, cap. 4.

rum & quomodo rite coli debeant, grauiter monet *) Ita vero conqueritur „in huius scientiae pertractione, qui de ea scripserunt, perinde mihi fecisse videntur, ac si quis scribendi artem tradere pollicitus, pulera tamen exhibeat exemplaria literarum tam simplicium quam copulatarum; de calamo vero ducendo aut modis characteres efformandi, nihil praecipiat — verum — quibus institutis animus ad illa asequenda subigi & componi possit, aut nihil praecipiunt, aut perfunctione & minus utiliter.“ Sunt plura adhuc, eaque eximia, quae Bacon de componenda vere fructuosa practica philosophia monet. Si vnuquam pars eruditionis est, quae magis hominum utilitatibus inferuire, quam eruditi ingenium emendare debet; certo practicae sunt scientiae, quae vero ita certissime corrumpuntur, si fastidiani scriptores in rebus vulgatis versari, quae neque ad disputandum idoneae neque ad ornandum illustres sunt.

Das quasi Ethices constituit summus philosophus partes, quarum prima ipsa est *doctrina de exemplari* vel *Imago boni*, altera vero *Scientia de regimine & cultura animi*, quam ultimam partem haud incomode vocat *Georgicam animi*, & hisce considerationibus immiscuit non pauca, aeque erudita ac utilia hominibusque & virtuti recte inferuentia.

§. 17.

Quod scriptor satis celebris **) de Bacone indicat, eius nempe scripta ignis scintillas potius, quam constantem ignem referre, non a veritate prorsus alienum iudico. Succincte cogitare solet, & tot saepe sunt inclusa ab ipso dictis, ut euolutione recte instituta inde systemata protrahi possint, in quibus nullae videntur Baconis partes, quae tamen sunt maximae, si systematis conditor ex animo fontes designare vellet, vnde sumferit haec bene & felicissime elaborata. Nescio, vtrum Barbeyracius, vel Grotius ipse, vel alius de iurisprudentia naturali insigniter & praecclare meritus, aperte alio in loco confessus sit, Baconis cogitata primam dedisse Grotio ansam, de inuenienda & colenda iurisprudentia naturali cogitandi; hoc scio, me aliquo in loco hanc confessionem legisse.

Saltem

*) De Dig. & Aug. scient. lib. 7. cap. 1.

**) Rapin reflexions sur la philosophie §. 18.



Saltim ego locum ex *Puffendorfio* adducere possum, vbi multis est in laudibus Verulamini extollendis *) & haud sine iure dicit, plurimas in philosophia post ipsum excogitatas inuentiones ipsi tamen esse attribuendas, quippe quum breuiter ab ipso explicatis largam suppeditauerit alius explicandi, do cendi, inueniendique materiem. Et profecto, in eruditione euenire solet, vt in natura, quod per auroram demum meridies. Primo alia proponuntur, postea accuratius explanantur, & si vel fundamenta scientiae ab aliquo sint posita, alias postea, qui litteris & promouendae eruditioni natus est, solet iisdem ita vti, vt ex illis noua deducat, alia cum ipsis coniungat, & postea scientiam aliquam euehat, cuius parens propterea iure meritoque vocatur, ultimo demum loco sunt nominanda istorum merita, qui in eo versantur, vt quod hucusque bene & solide edocutum erat, nunc systemati accurato includant, quod demum emendatur accuratius & regulis concatenationis conuenientius, immo conuenientissimum redditur. Quando secundum meam opinionem hosce sua laude haud defraudare velim: tamen magis, vt amant in scholis loqui, merentur de forma scientiae, quam de hac ipsa amplificanda, & doctrinis augendis.

supradictiorum aliis utribus §. 18.

In pluribus orationibus, quas in supremis Angliae curiis perorauit, non raro ista argumenta solide tractauit, quae ex intimitis practicae philosophiae depromi debent.**) Sunt plures harum orationum, vbi non minoris suae ciuilis prudentiae, quam iudicii altissimi tam clara edidit specimen, vt his ipsis sermonibus fauorem gentis & regis Iacobi gratiam sibi ita conciliauerit, vt postea ad istum dignitatis gradum eueheretur, in quo tam philosophice sentire tandem debebat, vanitates & esse vel splendidissimas hominum conditions. Neque minus in epistolis, quas adhuc plures ab ipso habemus, tractauit res politicas & civiles tanti argumenti, iisque non raro pro more suo intulit ingenii tantas scintillas, vt aliis, robur dictorum Baconis si sentiant, largiri videatur amplam satis materiam, videndi & explicandi plura, quae hucusque neque tam ingeniose neque tam vase & solide cogitauerant. Apologiam molimum suorum in *causa comitis Essexiae* merito ego vocare

vellem

*) Conf. Specimen controversiar. cap. L. feß. 5.

**) Vaftior earum collectio est in Raulio: *Refusatio* or bringing into publick light several pieces of the works of Bacon, Lond. 1671. in fol.

vellem exemplum prudentiae suae civilis; dum, et si meo quidem iudicio causam non adeo bonam defendebat, ita in hac apologia verius est, ut satis magna & solida videantur, quibus usus est, argumenta.

In pertractione eorum, quae ad ciuitatem & ad gentes pertinent, quam artem imperii nominat, recte obseruat Bacon, tria referenda esse ad artem imperii, nempe, ut *imperium conservetur*, ut *beatum efficiatur* & demum, ut *amplificetur* & eius fines longius proferantur; tertiam hanc officiorum legumque classem inter quaerenda adhuc reponit ipseque ingeniose satis in breuiori adiectione tractatu multa adponit, quae vtique egregie faciunt ad recte iudicandum de imperiorum magnitudine gentisque fortitudine. Non nego, plura hodie extare praetantissima scripta, in quibus haec longe accuratius & solidius agitata sunt: verum Baconus ita etiam de his grauissimis praecepit, ut ipsius praecepta hodie vel magis illustrata sint vel confirmata. Unico ego tantum utar, quo vel decem lineis id ipsum docuit, quod post eum vaste & copiose demonstratum est, & hodie adhuc exspectat solidam philosophi considerationem. In eo vel summam legislator ostendit sapientiam, si leges proponit genio gentis & utilitati tam publicae quam priuatae apprime conuenientes. Recte monet Bacon: „omnes, qui delegibus scripserint, vel tamquam philosophos vel tamquam Iureconsultos id argumentum tractauisse: Atque philosophos proponere multa dicta pulchra, sed ab usu remota, Iure consultos vero, vel patriae vel romanarum, vel pontificiarum placitis obnoxios tamquam e vinculis sermocinari solere, rectissime obseruat, id omne ad viros ciuiles spectare, quibus harum legum ratio esse deberet sana, vere proficia & humana societas & filius populi & aquietas naturalis, & gentium mores & forma denique rerum publicarum.”*)

§. 19.

Praecipuum Baconis scriptum, quo multa, quae ad practicas scientias pertinent, illustravit capita, *sermones fideles* appellavit,

C 2

de

) Vide de Dig. & Aug. Scient. lib. 3. cap. 3. ¶ 1. secundum apud Rauli. c. 111. C

**) Haec omnia succincte quidem, sed egregie & paulo uberiorius declaravit in speciali libello quem inscripsit: a proposition to his Majest. touching the Compiling and Amendment of the Laws of England. by Franc. Bacon. in Rauli collect. operum part. 1. pag. 203-211. & in alio Regi Iacobo oblato sub titul. an offer to King James of a digest to be made of the Laws of England in Rauli collect.



de quibus ipse in dedicatione ad ducem *Buckinghamiae* dixit, has deliberationes ex omnibus suis operibus fuisse acceptissimas. Forsan ea omnia, quae summam totius Ethices constituant, ita explicuit, ut ego nesciam, vtrum hi sermones magis iudicii soliditate, quam ingenii fertilitate sint commendandi, hoc scio, ex vtroque hoc capite has Baconis meditationes inter vitissimas & sagacissimas esse referandas. Quum nostris temporibus accuratius disciplinarum limites sint constituti, quam Verulamii aetate, potissimum illarum, quae ad leges & ad officia spectant; hoc praestantissimum Baconis scriptum ita est compositum, ut declareret multa & difficilia & illustria officiorum loca; quapropter & in politicis & in oeconomicis multo est emolumento, si harum rerum accuratior & solidior intenditur inuestigatio. Profundae sunt eruditio[n]is sermones isti, sed, prout Bacon paucis multa dixit, etiam in his sermonibus ita breuitatis studiosus saepe videtur, ut plura sint intellectu difficilia, quae vero illi, qui attentus satis & qui sibi familiarem reddidit Baconis cogitandi rationem, & qui bene in philosophia versatus est, largam concedunt materiem, amplificandi eruditio[n]em & recte de homine eiusque natura iudicandi. Quae *Montangius* belle & copiosius, Bacon solide & contractius atque subtiliter praecepit, ita, ut hic Summi Viri libellus a sapientissimis rerum iudicibus haud sine iure inter vitissima eius scripta sit relatus, propterea quoque saepius in plures alias linguis est translatus. *)

Deprehenduntur in illo alia, quae saepius disceprationum matres fuerunt; & tunc, cum Verulamius & erroneam tuerat sententiam, adeo tamen acute & ingeniose eam defendit, ut ex ipso non pauca, quibus multum inesse roboris videtur, sui erroris argumenta sumantur ab his, qui eandem defendant. Pertinet v. c. antiqua ista ac solemnis in hunc locum quaestio, vtrum atheismus sit sanior & melior superstitione, vel vtrum opposita sententia vera sit; in qua caufa Bacon sententiam Plutarchi, qui non sic exitialem putat atheismum ac superstitionem, & suam fecit opinionem **) quippe putet,

*) Ille, qui 1762. Wratislaviae hos sermones in germanicam linguam vertit (moralisch, politische und oeconomische Versuche) putat quidem in adiecta praefatione: numquam illos antea germanice prodisse, sicutque versionem primam esse, sed *Sotius* in historia eruditio[n]is commenrorat versionem Norimbergae 1654 editam sub titul. getreue Reden, qua autem ego quidem nunquam vti potui.

**) Conf. serm. fidel. cap. 17.

puter, impietatis atque opprobrii esse, contumeliosam & Deo indignam, infidelitatis autem, nullam de ipso habere opinionem. Postea *Baylius*^{*)} hanc Baconis sententiam acerrime propugnauit, & ita exercuit doctorum ingenia, ut, qua specie ab aliis defensa, ab aliis quoque sit impugnata.

§. 20.

Variae sunt atque fuerunt tractandi moralia methodi, & vna ex posterioribus in doctrinis politicis, singendi ratio. Iam celebris est ante Baconis tempora *Thomae Mori Utopia*, in qua laudanda vel omnes sui temporis conspirauerunt eruditii. *Erasmus*^{**) potissimum in epistola ad Vldric: *Huttenum* multus est in commendando hoc Mori libello. Adeo placebat Mori *Utopia*, quia, vt Erasmus de eo monet, *hoc consilio Morus Utopiam edidit, ut indicaret, quibus rebus fiat, ut minus commode habeant res publicae, sed britannicam potissimum effixit.* In eam vero totus erat Verulamius, vt litterae & disciplinas augerentur, ex eo capite quoque agere incepit, vt Morus, vt nempe non quidem rem publicam tam complete, ac ille fingeret, sed eam tantum, in qua vere et vtiliter scientiae colantur atque emendentur. Inde enata est *nova Baconis Alandis*, in qua sub fictione domus Salomoneae potissimum commendauit culturam Scientiarum et naturae recte instituendam interpretationem. Eodem, et forte maiori adhuc iure ad has politicas Baconis lucubrations ingeniosae ipsius considerationes de Europa eiusque statu pertinent^{***}), quas in chartam coniecit, saltim multa ex parte, cum modo annum aetatis suae vicesimum ageret. Characteres ibi pingit omnium imperantium, qui tunc in Europa principatum tenebant. Potissimum multo iudicio et multa sagacitate statum germaniae descripsit. Nisi primum Baconis scriptum est, tamen certe vnum ex primis & in eo iam iam, quisnam sit futurus, satis clare patefecit.}

§. 21.

Ex omnibus hucusque agitatis id a me euictum esse credo, Verulanium optime promeruisse de scientiis ita, ut, si quoque non tantae sint ipsius partes in augendis illis, plurimas tamen habuerit

C 3

in

^{*)} In eius pensées diverses §. 113.

^{**) conf. lucubrat. *Thomae Mori* pag. 503. sq. edit. Basil. an. 1563.}

^{***)} of the state of Europe: de tempore, quo scriptus fuerit hic libellus, subtiliter disputatur in biograph. angl. vol. I. pag. 309, in adiecta nota E.



in via vere regia ostendenda ad illas tam emendandas quam mirum
in modum augendas.

Variant quidem hominum doctorum de Baconem iudicia, ita,
vt ab aliis supra modum laudetur, ab aliis vero vitiorum accuse-
tur, quae ingenium eruditio non modo non ornant, verum po-
tius vehementer deformant. Sunt, quod negari nequit, plures
in illius scriptis noui, obscuri, insolitique termini, quibus negotium
facet lectoribus. Breuitatis quoque adeo dum studiosus fuit, ac-
cedit ipsi, quod euenire solet ex hoc nimio breuitatis studio, vt
obscurus factus sit. Attentum ergo, exercitatum et philosophiae in-
nutritum poscent Baconis scripta lectorem. At vero falsum id profecto
est, cuius ipsum reum facit *Conringius*, affectasse nempe principatum
in omni philosophia. Adduxi supra locum, vnde id patere existimo,
quod nec me: hodi nec systematis fuerit amicus, potius quod id semper
egerit, vt ipsi cogitent isti, qui eruditio videri volunt, non inter-
pretentur solummodo praeceptorum doctrinas, interpretentur potius
naturam. Cognovit philosophiae, quae tunc adeo amabatur, im-
perfectiones, et eandem reformati, felix fecit, vt de ipso iudicat
Baylius, periculum *). At veterum doctrina equidem non ita instru-
etus fuit ac *Conringius*, sed prorsus rudem fuisse veterum placito-
rum, hoc oppido falso est, & in egregio scripto *de veterum sa-
pientia* ac in alio, quod *de principiis atque originibus* agit, siue de
philosophia Parmenidis, Telephi et Democriti, satis demonstrauit, ita
ipsum esse versatum in veterum lectio, ac *Conringius* numquam
fuisset, si museo raro inclusus tot tamque grauib[us] functus fuisset
muneribus. Sapientissimus vtique et splendidissimus fuit, vt eum
nominat *Popius* **), sed vtrum miserrimus ob fatalem fortunam,
cum qua colluctandum ipsi erat post maximas, quibus gaudiebat
antea, dignitates, hoc ego quidem ignoro.

§. 22.

Considerauimus hucusque Baconem vt philosophum & vt
eruditum, hocque respectu vel omni laude ipsum dignum putamus;
si vero vt homo, vt amicus, vt ciuis representatur, forsitan non adeo
bene de ipso iudicari potest. Sunt alia in vita eius, quae haud pla-
cebunt, & quibus rite consideratis tantum abest, vt dextre ac solide
dese-

*) in eius dictionnaire historique critique artic. *Bacon*.

**) in ipsius essays on man.

defendi possit, ut potius concedi debeat, ita ipsum utique pessime deseruisse ea, quae prudens rerum humanarum index numquam deserere debet. Haud placet, quod adeo anxie atque solicite rogauerit munera, in illa potissimum vitae suae parte, dum nondum admotus erat publicis muneribus. Se, ingeniumque suum aliis ostendere, ut hunc in modum res hominis externae emendentur, non modo iuris sed quoque officii est: Bacon vero, dum haec omnia egerat, et forte non satis bene, quum maiorem spem in aliis reponeret ac in agnatis & adfinitibus in aula Elisabethae plurimum valentibus, spe sua deiectus haud animum viro dignum ostendit, sed potius demum, se nimis subactae Comitis Essexiae clientelae committere ab eo que adeo stipendum acceptare coactus est. Comes vero ubiuis se praestitit fidum atque constantissimum amicum; & quid foret Bacone dignius, quam perpetua et aeterna erga fautorem mutua amicitia? Res vero aliter cecidit. Comes gratia Reginae orbaratus, non habuit amplius Baconem amicum, sed infensum potius hostem, qui, dum caussam Elisabethae contra amicum gerere ipsum oportebat, ita eam gessit, ut capite demum plecteretur, cuius poena Verulamius suasor erat & actor dexterimus. Desperat ipse in apologia sua, de impetrando plausu ciuium, & rem omnem ex eo demum titulo defendit, officia erga Reginam fortiora esse illis erga amicum *). Numquam negabitur officii veritas, nostrumque non est, caussam Reginae eiusque iustitiam hic defendere; si vero et haec omnia conceduntur, plures nihilominus cogitari possunt legitimae caussae, quibus vii potuisse Bacon, quominus in hac caussa is ipse caussam Reginae agere, caussamque mortis Comitis solicitare debuisse **).

§. 23.

Euectus demum ad summas dignitates statim deiectus sua est fortuna pessime; cuius rationes sic designantur. Nimis rerum domesticarum incurios magis gloriae suae quam veri emolumenti studiosus demum studio ducis Buchinghamiae custos sigilli regni factus est: verum dum adeo indulgeret seruorum negligentiae, ma-

leque

*) omnia in hac apologia redeunt ad hanc legem, vbi enarrat multa comitis in ipsum merita et ita demum rem suam defendere annititur. vid Bacon's apology touching the late Earl of Essex in Ratcliff collectione.

**) multa sunt quoque aduersus hanc Baconis agendi rationem disputata in nota G. saepius adductae illius biographiae.



leque res suas oeconomics curaret, vel in suum, vel ut alii commemo-
rant, in Regis commodum, obfignauit hoc sigillo illa axiomata, quae
aliis plurimis ciuibus exitialia fuerunt. Conquesti sunt postea plu-
res de hac ipsis illata iniuria, atque vel culpam, si sua, haud po-
terat defendere, vel, si regis, nolebat, & ita demum digni-
taribus omnibus priuatus, electus est ex numero regni procerum,
itaque pauper vixit, ut saepius regem adire coactus sit, ut nancise-
retur, unde vivere posset. Nolumus in hanc cauissam accuratius
inquirere, neque nostri iam est definire, utrum potius regis er-
dus Buckinghamiae martyr fuerit, ac sutorum vitorum poenam luerit,
de qua re nondum conuenienter eruditus *): id modo addidisse suffi-
ciat, omni respectu, vel vere excusetur Bacon, vel commiserit cri-
mina, quorum fuit accusatus, mirum in modum prudentis Viri ra-
tionem deposuisse. Vel adulatio famam suam pessima conspur-
cavit, vel supina negligentia eo adductus est, ut demum crimina com-
misericet, quae nefandissime obsunt virtuti, qua antea splendebat. Magni
profecto Viri est, mundo inferire, sed suarum rerum haud depo-
nere curam: Leuitas saltim est, permettere, ut vitia ac crimina si-
bi imponantur, quo solummodo aliorum gloriae confulatur: ea ipsa
committere, scelus est, quod saepe in agis in inaduententia funda-
tum est quam in mente, quae probitatis inimica sclera quaevis
committit.

Vt dicam, quod res est, primarius certe erat philosophus,
litterarum gloriaeque ex illis obtinenda nimis studiosus, ita, ut ex nae-
uis nihil quidem ipsis gloriae ex eruditonis ratione detrahi possit,
multum vero iudeum detrahant honori ipsis ciuili. Vir Magnus
fuit, & maior fuisset, si a se & a studia solum intentus vitam a mun-
do atque negotiis publicis alienam egisset, & maximus, si quis
fuit eruditus, & fuisset amicus, ciuili, politicus, subditus.

Nos vero lubenter applaudimus laudibus, quas heres ipsi su-
pra sepulcrum concessir, quod nempe lex facundiae fuerit
verumque scientiarum lumen!

*) vid. l. c. pag. 430.

ERRATA.

pag. 14. l. 26. lege est p. 15. l. 3. Parmenidis pag. 16. lin. 5. enexit: reliqua dentur ne-
gligenti hypothetae.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO
HONORVM PHILOSOPHICORVM CANDIDATO
S.
JOH. CHRISTIAN FOERSTER.

*Recte agis PRAESTANTISSIME BIRNER, quod vitam aca-
demicam publico dexteritatis & eruditionis TVAE docu-
mento finire & in patriam Magistri dignitate ornatus redi-
re velis. Non adeo frequentes hodie sunt disputationes aca-
demicae, & rarius Commititones consilium, ita litteris
operam dandi capiunt, ut in fine periodi academicae cum
laude reportare possint in patriam acquisitam eruditionem il-
liusque praemia ipsis in academia iam concessa.*

*Fuisti apud nos tres integros annos & commendauisti
te & diligentia in litteris addiscendis & belle compositis
moribus ita, ut placueris vel omnibus illis quibus intimius
notus factus es. Plura, quae hic didicisti, statim quoque
docuisti & hoc eum in modum, ut inde non parum honoris re-
portaueris. Quumque res TVAE postularent, ut antequam
valediceres academiae, Patronis atque Fautoribus TVIS publi-
ca disputatione offenderes, non male a te collocatum fuisse*

D

aca-

academicum tempus; sicut ego **TIBI** fui, ut simul honores
in philosophia summos ambires. In examine a collegio Phi-
losophorum **TECVM** instituto ita ad quaestiones ex variis sci-
entiis & artibus respondisti ut praeter **TVAM** nobis decla-
ratam eruditionem spem optimam de te apud nos conci-
taueris.

In eligenda ad disputandum materia rem arduam **TIBI**
sumfisti & quum omnis libellus praeter pauca, quae ego ad-
didi aut limavi, **TVVS** sit, haud dubito, quin masculine eun-
dem sis defensurus. Eius me modo piget, quod neque anglica-
nam neque illam Verulamii operum editionem, quae apud
Batauos editata est, **TIBI** concedere potuerim. Plura de-
sunt in illa, qua usus fuisti, quae non minus ad eius phi-
losophiam pertinent, et si adhuc a me habueris illam Rauleii
collectionem, quae ramen plura complectitur, quibus destituta
est illa editio, qua plerumque utuntur.

Gratulor nunc ex animo finitum cursum academicum,
hoc eruditionis **TVAE** specimen, & summos in philosophia ho-
nores in te conferendos. Redux in patriam omni affidu-
itate & virtutem cole & eruditionem, ut ita bene de ecclesia,
de republica & de te ipso merearis. Mei **TVI** studioffissimi
viue memor & me amare non intermitte. Vale. Dedi in
Fridericiana regia d. 27. April 1771.

BIR-

BIRNERO

AMICO SVO CONIVNCTISSIMO,

S. P. D.

CHRISTIANVS BENIAMIN UBER.

OPPONENTS.



*O*rnatus igitur philosophi honoribus redibis in communem patriam!
Mirifice, crede mihi, gaudeo, vehementerque laetor, imprimis
cum intelligo, non immerito, MI BIRNERE, banc TIBI digni-
tatem tribui: id quod vel haec ista TVA dissertatio demonstrat.
Quod enim accidere videmus, ut hominum ingenia quo acriora sunt
in litterarum studiis, eo meliora & praestantiora ament prosequan-
turque, illud quidem et TV, ut aliis rebus, ita bac ipsa TVA
dissertatione luculenter significas, representante hominem nutritum et
detextatum potissimum Baconi, immortalis illius philosophi, ac fere
vnici vnicae, quae vera est et genuina, philosophiae parentis, do-

Erina



etina atque praecepis. Itaque ex omni animo hunc TIBI, MI BIR-
NERE, Baconi genium gratulor, qui ipse maximus philosophorum
bonos est ac ornamentum. Adsit idem ille per omnem TIBI vitam!
De te vero gratulor nostrae patriae, tibique adeo ipse. Vale,
VIR AMICISSIME, & quem adhuc amasti, in posterum ama.

Halae, a. d. XXVI Aprilis, MDCCLXXI.



00 A 6312



SK

Rubrik ✓



Q. D. E. V.

DISSE^RTATIO IN AVGVRALIS PHILOSOPHICA

D E

PHILOSOPHIA BACONIS VERVLAMII

QVAM

EX INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS

P R A E S I D E

IOH. CHRISTIANO FOERSTER
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

A D

CONSEQVENDOS SVPREMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES

DIE XXIX APRIL MDCCLXXI.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R
CHRISTIANVS GOTTLLOB BIRNER
BRIEGA-SILESIUS.

HALAE
LITTERIS BEYERIANIS.